

CLASSIS II. DE AVIBUS.

ACCIPITER der Habicht.

EX quo tamen, sicuti ex reliquis omnibus ferè Avibus, pauca admodum adhibentur in officinis. Sunt qui commendant EXCREMENTA accipitris ad partum promovendum, sicuti etiam ad retentas secundinas: ubi ℥j. hujus fimi accipitris propinatur: vel etiam sub *peffi* formâ ℥j. ejusdem fimi supponitur; utroque modo secundinae excretionem promovet. Nonnulli commendant ungues accipitris in pulverem reductos adversus dysenteriam, dicuntque hoc ipsum esse per experimentum cognitum. Cæterum de hoc parùm mihi constat. Hoc interim verum est, quod superius etiam monere volui, quòd partes istæ *ungula equina* quæ abscinduntur, quando nova imponenda est solea, pulverisata & exsiccata, adque ℥j. assumta valdè convenient in dysenteria, uti affirmat *AGERIUS* in Tr. de Dysenteria p. 26. Et eadem *ungula frisa* cum butyro & assumpta fuit secretum *HELMONTII* in cura Dysenteria. Observetur autem quod non debeat desumi ex equo lasciviente, aliàs non magis est nociva quàm proficua. Vid. *HELMONT.* in scriptis, qui in iis, quæ habet in Practicis, meretur fidem maximam, testantibus omnibus, utut in Theoria interdùm à vero abluat.

ALAUDA.

MAGIS est culinaria & alimentaria quàm officinalis. Ad Colicam nihilominus commendatur alaudæ, unde ii qui laborant colica, sibi illas commendatas habeant. De SANGUINE Alaudæ dicitur, quòd *calculum curet*: Et in *HOEFERI Hercule Medico* p. 172. habetur propriâ Auctoris experientia, qui ex esu alaudarum evitavit nephriticidem, quatenus caro comesta pellit urinam & arenulas promovet: vid. *AUCTOR.* Unde ad calculum dispositis possumus commendare carnem alaudarum.

ANAS.

CULINARIA & officinalis est: Et quidem virtutes officinales acquirit ex eo, quòd vescatur ranis & bufonibus. Unde dicunt, quòd ad durtiem sive coctam sive affatam, ut pulverisari possit, si pulvis inspergatur in lacum, exinde innumeræ ranae & bufones procreantur: id quod etiam fieri dicunt in fumo, ubi putrescit, nimirum copiosi bufones & ranæ progenerantur ex cadavere anatis putrefacto. Ratione ranarum & bufonum SANGUIS ejus est alexipharmacus, & ingreditur antidotum *PARACELSI* ex sanguine; quæ compositio videri potest in *CROLLII Basilica Chymica*, & quidem quò magis vescuntur bufonibus, eò magis fiunt alexipharmacæ & venenis resistentes, imprimis commendantur anates tales, quæ in sanguine proprio sive una in alterius sanguine suffocantur. Quidam puriorem & volatiliorem anatis sanguinem parant distillatione, & spiritum distillatum \ominus vol, imprægnant, quem ad ℥i℥ vel ℥ij.

propinant pro medela adversus venena. Calculum itidem renum & vesicæ valdè pellere dicitur: de anate vivâ dicit *AUCTOR*, quod si ventriculo imponatur circa posteriora deplumata, sedet colicam, quod verum est: sed tamen sedato dolore & finitâ colicâ anas moritur. Et mirum est, quod podices avium in specie gallinarum applicati anthracibus & bubonibus peccilentialibus, item moribus venenatis, adeò egregiè convenient in extrahendo veneno & miasmate maligno, & post applicationem moriantur: Id quod uti dixi, facit imprimis gallina denudata circa posteriora, extrahit potenter & postmodum moritur.

ANSER.

DICTUS à veteribus *Ganza*. De hoc anser se offert PINGUEDO, quæ est multi usus in medicina, est enim penetrantior & subtilior quàm pinguedo suilla: Unde externo usu in affectibus nervorum paralyticis, in spasmo nervisque rigidis ac contractis multi usus est pinguedo anserina. Item fofus vel vapor ex pinguedine anserinâ receptus in Paralyfi Scorbutica Westphalorum est experimentum, qui sæpius tali corripiuntur: Coquant illam benè cum ∇ , & fofum seu vaporem recipiunt cum membro paralytico ex scorbuto, penetrat enim potenter & ita tollit scorbuticam paralyfiam. Ad purgandum corpus quidam recipiunt testam nucis juglandis eamque implent cum pinguedine anserina, & tunc post paucas horas videbis corpus sufficienter expurgatum. Item internè pinguedo anserina assumta cum pomo affato valdè convenit in emollienda alvo nimis obstructa. Pinguedo anserina probè purgata vicem unguenti *armarii* in curandis vulneribus subire potest: uti vult *SCHMUCK* in Curat. magico magneticis p. 43. id quod etiam superius de pinguedine suilla dictum fuit. Pinguedo anserina non lota inuncta pedibus & manibus &c. contra frigoris inclementiam partes istas defendit, uti vult *STARICUS* in Helden-Schaze p. 126. *BARTOLETUS* in sua Encyclopædia p. 165. habet egregium linimentum ex anseri contraparyfiam, qualia linimenta hinc inde reperiuntur apud Practicos, ubi de paralyfi, qui & anserem, & exenteratum implent cum plantis nervinis, unguentis & medullis appropriatis, affant & pinguedinem quæ tempore affationis destillat ex anseri, colligunt, & istâ pinguedine ceu experto nervino utuntur ad inungenda membra paralytica cum successu, uti prostant exempla in *SENNERTI* & *RIVERII* praxi. STERCUS anserinum est salsum valdè potè seu multo calidius infertum, vel ex *Seurino* & acido compositum. Unde valdè penetrat & multi est usus. In specie specificum est contra Icterum, tam stercus anserinum adultorum, quàm etiam anserculorum juniorum. Pulvis scilicet stercoris ad ℥j. est specificum anti-ictericum *BARTOLETTI*, uti testatur in Encyclopædia p. 165. quod stercus erit eò efficacius, si anser prius fuerit pastus cum herba *Chelidonii* majoris & anserinæ: (ita dicta, quia illius esu valdè delectantur anseres.) Post Icterum, cui specificè convenit, valdè potè prodest stercus anserinum scorbuto curando, dum vel sub formâ pulveris, vel decocti usurpatur. Tali enim

* A a a

enim